



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.l.], 1711

LXXXII. Elisæus Taumaturgus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

Chananitide manipulos, sui æmulos atque imitatores instituit, ad cœlestem vitam, mundo ignotam ac contemptam traducendam adduxit; tot sæculis suarum precum, quasi facularum ardore calefecit; & ad hanc diem tot inter rerum, locorum, temporumque varietates constantes reddidit Magni Patriarchæ sectatores. Abijt ab hominibus, Iosaphati Regis Judæ Anno XIX. Mundi cl̄o. cl̄o. cl̄o. CX XIX. post Enochii translationem cl̄o. cl̄o. CLII.

NARRATIO LXXXII.
ELISÆUS THAVMATURGUS.

Lib. Reg. 3. c. 19. 4. Reg. 2. 4. 5. 6. 7. 13.
 Ab anno M. 3127. ante Ch. 926. ad ann. M. 3240. ante Ch. 849.

Elisaio natale solum fuit *Abelmeula*, urbs Tribus Manassæ, cis Iordanem sita, parenti nomen *Saphatus*. Rerum mirabiliter patrandarum omen fuit (quod S. Epiphanius, & Isidorus in vita Elifæi memorant) mugitus aurei vituli, Ierosolymis auditus, quo portendebatur, puerum idolorum exterminio natum. Antequam ab Elia in disciplinam adscisceretur, rus colebat non modicum, quippe duodenis boum jugis possidendum. In eum arantem fortè Elias iter peregrè faciens incidit; utque hominem instituti sui Socium faceret & sectatorem, pallium ei injecit, & cum pallio ani-

mum, sequendi hunc vitæ ducem. Elifæus in morem Prophetæ inunctus, continuò relictis bobus, adjungit se Eliæ, id unum expetens, prius ut liceat sibi ultimum parentibus vale dicere; & quia non fit uxoris mentio, credibile est, ipsum nullis matrimonij vinculis irretitum fuisse. Perfunctus eò humanitatis officio, parique boum in epulum amicis maçtato; aratrò quoque coquendis cibus combultò (ut ostenderet, se priori vivendi rationi prorsus renuntiare) in montem se Carmelum ad Eliam, perpetuus futurus affecla, recipit. Quò deinde in æthera translato, ipse prodigiosi hæres pallij, primum potentia specimen edidit, quando hirsuta, quam à Magistro acceperat, pelle, Iordanem fluvium percussit, geminasque divisum in partes, siccus inambulavit. Steriles subinde ac noxias lericuntis aquas, injecto sale potabiles effecit, & fecundas. Debeatur hoc beneficium supplicum precibus; at quæ sequitur pœna, derisorum petulantia.

Bethélem (oppidum tribùs Ephraimiticæ, monti inædificatum, aureoque Ieroboami Vitulo dedicatum regni Israëlitici limitaneum) fortè petenti, illudunt pueri malè linguati, tum per colles vagabundi, senile calvitium exsibilantes? eâ Vates offensus procaciâ, magis autem parentum scelere, quibus neque Religio curæ, neque filiorum educatio, supplicium illusoribus imperatur. Præstò habuit evocatam Numinis vindictam; momentò citius gemini de silvis ursi prorumpunt, & duo ac quadraginta puerilium corporum in frustra discerpunt, improbam linguam DEO per feras castigante.

Pue-

Puerorum cladem, haud paullò major virorum
 excepit. Rex Moabita, (Josephus *Misam* appellat)
 Israëlitarum vectigalis, sub id tempus defecerat,
 tributariam subjectionem excussurus. Quem ut ar-
 mis in officio contineret *Ioramus*, tunc Israëlitici
 regni potens, adscitò in societatem belli *Iosaphatò*
 Iudæ Rege; quiq; Idumæis imperabat, tertiò ex-
 peditionis sociò assumptò, movet in Moabitas. Ut
 imparatis superveniant, iter instituunt per Idumææ
 desertam, quàm minimè expectabat hostis. Septiduò
 jam progressus exercitus, caput vehementi siti la-
 borare; In summa aquarum penuria Rex Israëli-
 ticus non veritus est, cum DEO ipso exoptulare,
 quòd ternos Reges, cum ingenti suorum multitudine
 in extremam necessitatem (quæ stolido potius
 ipsiusmet, quippe copiarum Ducis, consilio impu-
 tanda) coniecisset. Displicuit, ut par erat, Iosa-
 phato, hominis impij querimonia; jubet igitur per-
 quiri, num quis in exercitu Prophetes adestet, per
 quem quid faciendum, DEus possit consuli. Indi-
 catur, *Eliseum*, Saphati filium in castris versari. Ita-
 que ad ejus tabernaculum conferunt se Reges, con-
 silium in rebus angustis petunt; Ioramus præcipuè
 Vatis responsum urgebat. Quem ille cum indig-
 natione rejectum, jussit apud suos veridicos futura
 inquirere. Haud æquum esse, divina ut oracula
 impijs & indignis pandantur. Valuit tamen apud
 virum religiosum Josaphati pietas, ut accersito psal-
 te, qui divinas laudes incineret, veluti quodam en-
 thusiasmo correptus, opem ferret laborantibus. nam
 ubi pro vatis imperio, aridus torrentis alveus, in
 complures, profundasque fossas sulcatus est, tanta

repentè aquarum copia eas inundavit, ut & militi, & jumentis abunde ad bibendum suppeditaret. Rem miram mox alia consecuta est. *Moabita* audito hostium adventu, in regni finibus occurrunt; & quia subitæ torrentis undæ matutini solis radijs verberatæ rutilabant; illi viso colore sanguineo, rati Hebræos rabie sitis stimulatos, in semetipsos arma vertisse; impetum in hostilia castra velut ad paratam prædam faciunt. Confertim sine ordine irruentes, excipiunt Hebræi, & ad internecionem cœdunt. Vastata latè religione, obsidio urbi regni primaria, quò se Rex Moabita cum paucis suorum receperat, admovetur. Erumpere tentantem, repellunt obsessores, & ad extrema desperationis consilia adigunt. Cùmque, quò se verteret, non haberet, commiserationem hostis, ab atroci facinore capturus, arripit filium natu primum, regni successorem, productumque in mœnia, inspectante toto hostili exercitu, Dijs suis victimam immolat. Quare conspecta Reges foederati, humanam miserati fortem soluta obsidione recesserunt.

Atque hæc ad salutem publicam pertinebant; quæ jam memorabimus, in privatam sunt collata. Vidua quædam (uxor *Abdia*, œconomi regij, & in profligatos Prophetas benefici, de quo supra, fuisse creditur) ære sic gravabatur alieno, ut solvendo non esset, geminisque filijs immineret, servitus à creditoribus imponenda. Hæc se ad prætereuntis commodum Elisei pedes abijcit, & rebus afflictis auxilium rogat. Motus fæminæ lacrimis senex, pauxillum olei, quod in gutti fundo reliquum, unguenda vix sufficeret faciei, adeò copiosè jussit fluere,

te, ut excipiendo vasa non superessent, etsi à vicinis non pauca suppeditata; olivitatem diceres autumnalem, quæ nexus non tantum æris alieni, sed notius angustias familiæ laxavit. Atque sic cum libertate vitam Propheta conservavit miseris; nunc quomodo eam amissam restituerit, referemus.

Invisurus subjecta sibi Prophetarum collegia, solitam itabat viam per Issacharæ Tribus civitatem, cui *Suna* appellatio. Hic matrona quædam virtutibus æquè ac fortunis prædita, persuadet marito, Vati ut divino sæpius illac transeunti cœnaculum exstruat, reliquis ab ædibus semotum, ea suppellectilis tenuitate, qua sciebat Elisæum delectari. Cùmque hospes jam frequentius diverteret, & de Symbola hospitali solvenda cogitaret, advertit, ædium dominis ab omni re instructissimis, unum aliquid ad felicitatem deesse; hæredem. hunc promittit hospiti, vix se præ gaudio capienti, & fidem adhibenti; quam confirmavit paullò post natus filius. Eam lætitiâ haud multo post tempore, par mœror extinxit. Trimulus puer ex ardore solis (nam ad patrem ruri cum messoribus agentem erat deportatus) malè habere cœpit, diemque supremum in ipso meridie & genitricis gremio clausit. Hæc non ignara, Prophetam æquè potentem esse in reddenda vita filij, quàm in danda fuerit, ad Thaumaturgum in Carmelum proficiscitur, exponit luctum lacrimando potius, quàm loquendo. Permotus mæstitudine parentis senior, famulum *Giezi* amandat, suo instructum baculo, ut eò cadaveri impositò animam in frigidis artus revocet. Subsequitur cum matrona Vates ipse; recurrit in via famulus, nuntiâtque, nihil

nihil virtutis in Scipione fuisse. Itaque Elifæus *nam* usque profectus, reperit funus in lectulo cubi-
culi sui collocatum; mox igitur incumbere preci-
bus & exanimi corpusculo; membra membris, E-
liæ exemplô, commetiri; Et ecce! caleferi puer,
aperire os & oculos, ducere spiritum, totus reviviscere, iterumque parentibus renasci.

Post hæc Elifæus, suos ad discipulos revertitur in *Galgala*, (locum, Iordanem inter, & Ierichun-
tem urbem, interjectum) utque in communi famis
calamitate, aliquod eis levamentum adferret, ius-
sit herbas ruri colligi, in edulium famelicis; cum-
que accideret, ut is, cui hoc negotium erat manda-
tum, agrestes cucurbitas, quas colocynthidas vo-
cant, decerperet, concisasque in lebetem immi-
teret, ac coqueret, ignarus insitæ amaritudinis
non cibus, sed venenum in mensam venit. ab eo
palati tormento fames ipsa abhorruit; inspergit E-
lifæus modicum farris; & ecce, quidquid erat fellis
emendat, inque saporem suavissimum vertit, vir-
tute condimenti non è terra, sed cælo haustâ. Cui
miraculo mox alterum adjecit; dum viginti panum
hordeaceorum penu, vix totidem hominibus suffe-
cturô, virorum omnino centum famem explevit ita,
ut etiam saturatis reliquiæ superessent. Alias cum
cuiquam è Prophetarum Collegio in succidenda pro-
ædificio materia, securis de manubrio in Iordanis
undas fugisset; Elifæus præcisum, in manubrij for-
mam lignum immittit præterfluenti; Et, ô mirum!
rectè illud defertur ad fundum, & ad ferrum demer-
sum, inque securis foramen ultro, atque ad ligna-
toris adnatat manum.

Plus

Plus etiam admirabilitatis habent, quæ deinceps memorabuntur. *Naamus*, vir ob res præclare gestas imprimis charus Regi Syriae *Benadado*, ejusque militiae princeps, foedum in modum aspersus lepræ maculis, omnium oculos offendebat. Auxilijs nequidquam in arte medica perquisitis, ibi reperit, ubi non quærebat. In famulatio domestico Hebræa serviebat puella, nuper in bello abducta; hæc dominae suæ narrat mira per Vatem *Elisæum* patrata; narrata ad maritum defert uxor. Ille impetratis abs rege comœatu, & commendatitijs ad *Joramum* Israëlitarum regem litteris, è regia Syrorum urbe *Damasco*, *Samariam* contendit, valetudinis spe recuperandæ. *Benadadus*, quòd magis postulare, quàm petere videretur, suspicionem movit, occasionis bellicaptandæ. Turbavit ea res vehementer *Joramum*; quem mox à timore erexit *Elisæus*, & hominis persanandi remediũ à potenti Numinis manu ostendit. Venit ergo *Naamus* cum equis & curribus, & stetit ad ostium domũs *Elisæi*; sed is ne quidem extra limen prodire sustinens satis habuit per internuntium (*Giezi*um ministerium) significare, iret, & septies in *Jordane* tinctus illuviem corporis, scabiẽmque ablueret. Civit indignationem hominĩ gentili inofficiosus nuntius, reputanti, *Abanam* & *Pharpharem*, patrios fluvios, non minũs limpidas quàm *Jordanem*, undas trahere, quibus lavari possit, si frigida morbum abstergeret. Reditum paranti, intercedunt famuli, utque imperium non grave sequatur, demissè, amicèque hortantur. Paret *Naamus* modestis precibus, & ablutione septies repetitã, maculas omnes morbi, atque adeò vestigia; & cum

eum ijs patriæ superstitionis squalorem detergit. Oblata in fostrum à discedente munera non minore constantia repudiavit Vates, quàm adventanti præsentiam suam negavit. Sed quæ herus sanctè recusavit, Giezius servulus ultro depoposcit, poenam cepit cum munere; lepram Naamo absterfam, sibi suæque posteritati avita contagione contraxit; lémque tradidit per manum avaram. Huic, quod jam narrabo, cum admiratione, etiam lepos adjunctus est.

Benadadus, quod aliàs memini, Rex Syriæ perpetuus Israëlitarum hostis, dolò eos vinceret an aperto Marte, perinde habens; cùm collocatas regi Joramò insidias, per Elisæi, nimis quàm oculatam sagacitatem, non semel elusas intellexisset, omnem hostilitatem in ejus caput convertit; mittit expeditam peditem equitumque manum, quæ *Dothainum* oppidum (haud procul urbe Samaria remotum, ubi tum Propheta morabatur) cum homine, consilijs suis adversissimo, in potestatem redigat. Terror ingens oppidanis injectus, vim extremam metuentibus. In ea trepidatione ad herum suum Elisæum famulus (alius à Giezio, quem elephantiasis non à Prophetae modò, sed communi hominum consortio exegit) accurrit, civitatè que ab hostibus circumsideri nuntiat. Inconcussus ea consternatione Vates, jubet bonò esse animò, & castra castris contraria intueri, simulque ostendit ei montem, plenum curribus & equis igneis, cum infessoribus suis, utique Angelis, in auxilium contra Syros, è coelo submissis: Eò spectaculò confirmatus minister, ultro cum Propheta extra oppidum progreditur, viamque

que intendit Samariam versùs ab hostibus maximè infestatam. Mirum dictu! Syri minaces occurrunt, & Elifæum de Elifæo sciscitantur, negat iste, rectam insisti viam hominis deprehendendi; quam si quærant, non defuturum se ipsis ducem. Nec multa, præit ille; sequuntur isti. Et ecce, dum procedunt strenuè, inhiantes prædæ; Subitum oculis glaucoma obijcitur; deferuntur, Elifæo ductore, ipsam in urbem Samariam, maximè hostilem. Poterant telis impunè configi, vel gladijs contrucidari, ceu clausæ in cavea feræ, nisi pietas Elifæi obstitisset, quæ regi persuasit, ut in hostes arte non tam humana, quam divina captos, animadverteret bene faciendo. Quare non jam ut hostes, sed hospites excipiuntur lautò conviviò, & post illud incolumes dimittuntur. Illi mirati & stupefcentes sibi pro morte victum, pro interitu cibum, epulum pro poena paratum, insolitæ beneficentiæ præcones discedunt in Syriam, pedem eò non relaturi hostilem, ubi omnia alia meritis, summa humanitas occurrisset.

Malè tamen fuisse collocatam gratiam, docent sequentia. Etenim non diu post, Rex *Benadadus* Samariam arctissima obsidione coniecit in extremas angustias, ut ne obscœnis quidem cibus, & humanis corporibus abstineretur. Ex sacra historia constat, caput asinum vèniisse octoginta siclis, seu 22. florenis Rhenanis, seu 660. sestertijs; libram stercoris columbini quinque siclis, (unò florenò & 20. crucigeris, seu 40. sestertijs) matrèsque ad funestas filiorum epulas à fame compulsas esse. Inter eas calamitates Rex Israël *Iovannus*, furore concitatus in Elifæum, jubet eum ad necem rapi, tanquam accersitor

tor

tor malorum esset, qui averruncator non fuerat; mox tamen mutata mente ipsemet Prophetam addit, & desperatissimis cum eo questibus exoptulat, ut cujus consilio retardata Samariae deditio, civis ad ultima experienda adegerit. Mulcet exacerbatum animum placidis dictis Vates, promittit ingentem annonae vilitatem in secuturam diem. Ei vaticinio fidem adhibentibus Rege, satrapisque; unus aliquis Ducum militarium non sustinuit cedere, sed ut vanum derisit, nec impunè. Postridie namque Syri, obsidentes urbem, repentino pavore percussis, cum putarent solvendae obsidioni armatas copias à vicinis Regibus supervenisse; fugam sese precipites abstulerunt, panicum timorem in pectoribus, salutem in pedibus; hostem, qui nullus aderat, in auribus circumferentes. Ejus fugae indices fiunt viri quidam leprosi. At Ioramus insidias veritus, mittit equites duos, (fames enim cum reliquis pecudes & jumenta, tum equos ita absumperat, ut ex ijs non nisi quinque strigosi & malè habiti tota in urbe Samaritana superessent) certiora exploraturos. Illi renuntiant, se viam Iordanem usque spolijs constratam reperisse: jacere sparsim arma, vestes, vasa, commeatum, quae Syri, expeditius fugituri abjecerant. Ad eum nuntium Rex, populisque incredibili gaudio completus est. Fit continuo Irruptio in castra, hoste vacua, praedae refertissima; nam quidquid rapinae barbara manus et omni Israëlitide convexerat, multitudini cessit in direptionem. Caeterum cum turba fame rabida confertissimè ad cibum rueret, Rex ad portam urbis constituit eum ipsum ducem, qui Vatis praed-

tionem
multi
obter
passus
interi
An
scus a
exple
gume
tur.
Rex,
re co
que o
temp
vassil
dio,
quen
bus a
relin
na c
bitur
deine
fene
prec
petit
missi
totu
septi
miss
ces s
pera
leva

tionem ludibrio habuit , ut proruentis impetum multitudinis cohiberet, ne se invicem conculcando obtererent; sed is, idem , quod prohibere debebat, passus, proterentium pedibus, juxta vaticinationem, interiit.

Anno demum M. 3240. ante Christum 849. Elisæus annis & meritis gravis (ætatis enim sæculum expleverat) post exhibita plurima divinæ mentis argumenta, non tam morbo, quàm senectute solvitur. Ad decumbentem invisens *Ioas*, Israëlitarum Rex, quamvis impius, pias tamen lacrimas spargere cœpit, & lamentari communem parentem, relique clypeum publicæ, cujus protectione Israëlitæ semper invicti adversus Syros, capitales hostes, evassissent. quem jam rebus in arctis futurum præsidio, quem in dubijs oraculo; quem Numinis iram, quem calamitates publicas, privatasque à cervicibus averfurum? optabilius esse, vitam cum ipso relinquere, quàm sine illo, cum acerbissima fortuna conflictari. His querimonijs levamentum adhibiturus Elisæus, afferri arcum postulat, & intendi; deinde eum, superpositâ suâ Regis manui manu, per fenestram orientalem, Syriam versus cum fausta apprecatione, præfagióque exonerari: rursusque repetita jaculatione terram feriri; cumque tribus emissis telis, Rex destitisset; poteras, inquit Vates, totum Syrorum regnum excindere, si quinquies, septiesque sagittam retorsisses; nunc quia terna emissionem contentus, cessasti, totidem prælijs vinces Syros, & regionem patri tuo ademptam, recuperabis. Ita Regis mœror haud mediocriter est relevatus. Prophetes autem, simul Ioæ, discipulis-

C c

que

que, jam per Israëlitidē propagatis, tunc morienti as-
sistentibus, salutis monita : simul DEO beatum spi-
ritum tradidit. Ioas etsi meliora doctus, cum veri-
tamen Numinis cultu, superstitionem vitulorum
Ieroboami, ad imitationem Ioachazi parentis, so-
ciare perseveravit. Adeò profundas radices agit
pravitas, majorum exemplis irroborata, ut ne Dei
quidem, quā minis, quā beneficijs trahentis, ma-
num sequatur.

Elisæi porrò funus magno luctu, honorēque cu-
ratum est; corpus illatum Mausolæo, quale sancti-
moniam ejus decebat, in modum speluncæ exciso;
quique vivus in signis edendis mirandus fuit, post
vitam quoque à prodigijs non destitit; nam mor-
tuus mortuum fuscitavit. Cùm enim in funeris è
Samaria elati pompam, latrunculorum Moabiticor-
um excursio subitum terrorem sparsisset, illique,
qui sandapilæ succollârunt, cadaver, in sepulchrum
Elisæi, remotò, quo claudebatur, saxò, tumultu-
ariè & raptim iniecissent; res mirissima! è sacrorum
ossium contactu corpus exanime statim revixit, in-
que pedes erectum, cum cæteris sese fugæ dedit,
tantò ocyus, quantò mortis semel exantlatæ metu-
entius.

Adjungam hisce duo Magni Prophetæ elogia,
quorum alterum Spiritus divinus Siracidi dictavit;
alterum ex divina historia, gravissimus Annalium
Scriptor, Jacobus Salianus, calamo exaravit. Pri-
oris, hoc est; Eccli. 48. *Elias quidem in turbine reclusus
est, & in Elisæo completus est spiritus ejus.* (id est, Elias,
turbine in cœlum subvectus est, & cum pallio en-
theum sectatori suo Elisæo spiritum pro hæreditate,
reli-

reliquit.) *In diebus suis non pertimuit principem, & pū-*
rentiā nemo vicit illum. (id est, nullius principis ter-
 ror Elisæum ab instituti sui ratione dimovit. hinc 4.
 Reg. c. 3. Ioram Achabi filio in faciem dixit: *si non*
vultum Iosaphat Regis Iudæ erubescerem, non attendissem qui-
dem te, nec respexissem. Et lib. 4. Reg. cap. 6. de eo-
 dem intrepidus pronuntiavit: *Nunquid scitis, quòd fi-*
lius homicidæ, (nempe Achabi Nabothum lapidantis)
misi, ut præcidatur caput meum. Auxiliares præterea
 Angelorum copias habuit 4. Reg. 6. *Nec superavit ip-*
sam aliquod verbum, & mortuum prophetavit corpus ejus.
 (id est, nullæ neque minæ, neque blanditiæ ipsum
 à recto dimoverunt. Declaratum in Naamo fani-
 tati reddito, cujus munera ut reciperet, adduci non
 potuit, 4. Reg. 5. uti neque Benadadi Regis lib. 4.
 Reg. c. 8. *Mortuum corpus* dicitur *prophetasse,* quia ca-
 daver animando, sese prophetam probavit, etiam
 mortuus) *In vita sua fecit monstra, & in morte mirabilia*
operatus est. Ea, qualia fuerint, in præcedente Nar-
 ratione retulimus. Salianum audiamus.

EPITAPHIUM, SEU
 ELOGIUM
 ELISÆI.

Hic situs est magni Præceptoris major, si vas est
 dicere, discipulus Elisæus, qui humili loco
 natus, ab aratri tractatione, ad nobilem animorum
 curam, ad Prophetæ scientiam, ad dignitatem, ad
 prodigiorum editionem evocatus, impios bellis,

obsidionibus, septenni fame, cædibusque castigatus
 qui feras ad lacerationem puerorum, in vindictam
 parentum vocat, turpisque lucri cupiditate sordidus,
 sceleratissima, perennique lepra contaminat. Hic
 est, qui ad unam Prophetæ voculam, aut pallij in-
 jectionem, ad DEI famulatum incaluit, & patri,
 matrique valedicens, omnia in prolusionem Evan-
 gelicæ paupertatis, abdicavit à se, atque contemp-
 sit. Hic est, qui religiosæ paupertatis thesauro di-
 ves, egentes, obæratasque viduas, inopes prophe-
 tarum cohortes, adeoque copiosos militum exer-
 citus, deserto in loco, siti enectos, divina benigni-
 tate locupletat: qui innumerabilium Religiosorum
 parens atque propagator, ea semina annis penè o-
 ctoginta jecit, quæ superveniens Evangelij gratia
 eduxit, excoluit, & ad debitam maturitatem per-
 duxit. Qui ut populi sui clades prævidit, atque
 præluxit, ita ejusdem salutem ac libertatem mori-
 ens feliciter parturivit. Vixit annos C. atque eo
 amplius; in Religiosa disciplina XXC. sex Regum
 temporibus, Achabi, Ochoziæ, Iorami,
 Iehu, Ioachaz, Ioas. Annis VI. & LX. Prophe-
 tæ munere functus; eoque unà cum vita perfun-
 ctus est anno Ioasi X. Amasiæ Regis Iudæ VIII.
 ante CH. ortum, DCCXIX.
 Mundi 3204.



NAR